

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmansdorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatæ Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XXXIV. Asylum est peccatorum. Maria est Peccatoribus Civitas
refugii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](#)

DISCURSUS XXXIV.

Civitas refugii peccatoribus Virgo Maria est.

Exordium.

Maximi amoris & paterni signum affectus hebraico Populo olim Deus exhibuit, quando homicidis, aliorumque delictorum obnoxiiis peccatoribus asyla, sive Civitates refugii, in omni Tribu designavit, in quibus salvus & incolmis morari valeret, quisquis casu, seu subitaneo motu, vel aliâ ratione proximum suum occidisset, aut aliud quoddam commississet delictum; Num. 35. cap. O quot centenis ac millenis modis, miseri nos homines, mandata Dei transgredimur, proprias, Deoque charissimas occidentes animas, neque tantum ignoranter, seu inadvertenter peccamus, ac divinam bonitatem offendimus, verum etiam ex simplici & merâ malitiâ iteratâ delinquimus, neque unum tantum, sed & mille infernos promeremur: At ecce quam magna ac singularis Dei nostri est bonitas, ad demonstrandum erga nos speciale affectum, & paterni amoris signum exhibendum, in gratia quoque Læge asylum, seu civitatem refugii nobis benignissimus Dominus deputavit, ad quam lapsi in peccata, & divina Justitia rigorem meriti fugiamus, & salvi & incolumes æternum vivamus. Civitas hæc refugii, peccatoribus à Deo designata, Dei Mater est, Sanctissima Virgo Maria, ad hanc, dum Justitiae divinae urget executio, & æterni Judicis terret ira, configiat peccator, ipsa enim reorum potentissima Patrona, & Advocata, quæ Judicis placat iram, peccatori veniam obtinet, & salutem, ipsa est Refugium peccatorum. SS. Patrum asserta veritatem confirmant. *Confuge ad ipsam peccator, quia ipsa est Civitas refugii;* sicut enim quondam Deus, ut dicitur Num. 35. separavit Civitates, seu urbes refugii, ad quas con-

SS. Patres.

confugerent, qui nolentes homicidium perpetrarent, sic nunc S. Antonius misericordia Domini refugium misericordia providit etiam vo^r Paduanus, luntariis homicidis, diserte perorat lingua incorrupta S. Antonii Paduani. Serm. in Dom. 3. Quadr. Quadragesimali. 2.
Ego Civitas refugii omnibus ad me confugientibus. introducit S. Joannes ipsum Dei Matrem S. Joannes Damascenus. Serm. 2. de Dor. Damaicen^o mit. B. V. Peccator debet ad eam confugere, quia ipsa est Ci- Richardus vitas refugii. hortatur Richardus à S. Victore. Orat. de Af. à S. Victore. sumpt. B. V. Ipsa est Civitas & domus salvationis Jerem. 8. Convenite celeriter, & ingrediamur Civitatem munitam, id B. Albertus est, Mariam, munitam in natura, in gratia, in gloria, quis Magnus. non audemus deprecari Dominum, quem offendimus, sed ipsa deprecetur, & roget, quia Dominus silere nos fecit, quia cum offendimus, & potum dedit nobis aquam fellus, id est, dulcem Deum, amarum nobis fecimus. interpretatur B. Albertus Magnus. in Bibl. Maria. lib. Jerem. Proph. Num. 2. Securum, ô homo! accessum habes ad Deum, ubi Mater ante Filium, & S. Bernardus. Filius stat ante Patrem, Mater ostendit Filio pectus & ubera, & Filius ostendit Patri latus & vulnera, nulla ergo ibi poterit esse repulsa, ubi rot concurrunt amoris insignia. suavissime discutit S. Bernardus. serm. 2. de Assumpt. B. V. ac tandem concludit S. Thomas à Villâ Novâ. serm. 3. de Nat. B. V. Sicut S. Thomas pulli volantibus desuper milvis ad gallina alas recurrent, ita à Villâ Novâ sub velamento alarum tuarum abscondimur, nescimus aliud vā. refugium, nisi te, tu sola es unica spes nostra, in qua confidimus, tu sola es Patrona nostra, ad quam omnes aspiciimus. Gratiā Spiritū sancti nobis exora, ut te Conceptibus dignis meditemur.

CONCEPTUS I.

In multis sacræ Scripturæ locis, sub figurâ terræ sanctis. Confirmata Deipara repræsentatur, nominatim autem Psalm. 84. Terra nostra dabit fructum suum: quæ verba de Virgine benedicta SS. Patres interpretantur. Cur ô David! Virginem hh super

super omnes speciosam , pulcherrimam mulierum , terram nostram , & non potius , cœlum nostrum vocas ? terram enim calcamus pedibus , cœlum autem læti suspicimus? Respondet S. Bonaventura in Spec. B. V. Lect. 7. De terra omnes vitam fovere mus , unde enim victimum & vestitum , pamen & vinum , lanam & linum , & hujus vita necessaria nisi de terra , & de plenitudine terra habemus , quid ergo utilius terra? Similiter quid utilius Maria? ipsa plenitudine suâ omnium est utilissima. Non cœlum nostrum , sed terra nostra Maria est , inquit David , quia sicut pro conservatione temporalis vitæ , ad terram recurrit homo , ne moriatur , sic & peccator , ne in æternum pereat , sed vitam sempiternam obtineat , refugit ad Mariam , ipsa proinde est Refugium peccatorum , sed aliam hujus dubii solutionem , novo Conceptu , recenti & ingeniosa observatione elucidemus.

CONCEPTUS II.

Duo quidam viri , quibus nomen Datan & Abiron , olim justo Dei judicio , eò quod Deo rebelles in sacra se imiscuerint , alienoigne in thuribulis apparuerint , nec non impio conatu , Moysi & Aaron sese opposuerint , unâ cum uxoribus , filiis , & filiabus , totâque suâ substaniâ , à terra absorpti , & in inferni puteum sunt demersi: Terra aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis , & universâ substaniâ eorum , descenderuntq; vivi in infernum , operibus , & perierunt de medio multitudinis. Numer. 16. cap. Certè admirabilis , sed magis formidabilis casus ! quomodo contigit , quod hi cum totâ suâ substaniâ , vivi descenderint in infernum ? causam reddit scriptura : Disrupta est terra sub pedibus eorum . Terra , cui innitebantur pedes eorum , immisericors , & contra hos insensatos armata celsit , & improvisò se aperiens , non habentes refugium , quod manibus arriperent , aut sustentaculum , ubi pedes eorum sisterent , miseri usque in infernum descenderunt. Ter-

ram nostram misericordem nobis Dei Matrem Virginem regius Propheta appellavit, quò intelligeremus, non disrupti sub pedibus nostris terram nostram, sed inter nos & Christum Filium suum sese interponere intercedendo, ne æternæ damnationis sententia proferatur, sed misericorditer venia indulgeatur, & tempus pœnitentiæ fructuose concedatur, Maria terra nostra auxilii sui manubrium, fundamentum, sustentaculum, fulcrum & refugium pedibus seu gressibus nostris supponit, ne peccatorum nostrorum pondere pressi, cum Dathan & Abiron in infernum miseri detrudamus. Favet Conceptui Richardus à S. Laurentio, lib. de Laud. Virg. Cap. 3. *Maria terra est, qua nobis interponitur, & abyssum, quā substratā, sicut Dathan & Abiron statim descendimus in infernum viventes, sic subtracto nobis adjutorio Mariae, statim labimur in peccatum, & deinde in infernum.* Invocata hæc Terra nostra, dabit fructum suum, neminique deerit esse Refugium peccatorum.

CONCEPTUS III.

Aliâ quâdam Metaphorâ confirmat veritatem hanc regius Psaltes, cùm in Spiritu loquens de Sacrosanctâ Virgine, uti opinatur Hugo Cardinalis, dixit hæc verba: *Astitit Regina à dextris tuū.* Psalm. 44. v. 10. Id quod Virgo ipsa defensio confirmat. Eccles. 2. cap. *In omni terrâ steti.* Cur quæso Propheta dicit Mariam Virginem stare erectam, & quare non ait illam sedere à dextris Dei? Quintus Curtius refert, antiquitus hanc floruisse consuetudinem, quòd advocati defensuri clientis cujusdam causam magni momenti, à dextris eum sibi assistentem habuerint, quòd à calumniatoribus ipsum tuerentur, & protegerent, standi igitur cœrimoniam promptitudinem defensionis populo insinuabat. *Stare auxiliantis est, & advocari officium designat.* inquit S. Augustinus. in Psalm. 109. Quòd ergo Maria stellis coronata, *Regina cœli, electa terræ Imperatrix ac Domina,* non
hh 2
sedeat,

fedeat, sed collocata sit ad dextram Christi, in omni terrâ steterit, nihil aliud significare intendit, quâm quod ad protegendos peccatores sit promptissima, & si Deus justissime in nos indignatus, manum extenderet vindicem, ut iustitia gladio transverberaret, ipsa Patronæ & Advocatæ officium agens, utpote stans à dextris potentem Dei vellet remorari manum, ne miserum peccatorem, cuius ipse in se curam, maternamque protectionem suscepit, lâdere possit, aut sauciare. Ita Hugo Card. & Hugo de S. Victore lib. 4. de Laud. Virg. *Bene astitit à dextris tuis, tanquam nostra Patrona matrix, gladium evaginandum peccatori impediens.* Et iterum. *Maria, licet Regina stat tibi in auxilium, tibi in utilitatem, tibi in salutem.* doctissimè Idiotâ. de Contemplat. Virg. *Sicut Maria nostra Regina est, ita eis omnium nostrum Advocata & Patrona, & cura est illi de omnibus.* Maria stat in omni terrâ, quia inter peccatores, qui terra & terreni sunt, non sedet, sed stat, ut peccatores adjuvet, ut ipsos protegat. perorat S. Bernardinus Senensis. Serm. 3. de B. Virg. *In omni terrâ stat Maria, & in omni loco misero peccatori est Refugium, & Mater misericordia.* subscritbit Richardus à S. Laurentio, lib. 2. de Laud. B. V. *O felix peccatori Civitas refugii.*

CONCEPTUS IV.

Ecclesiast. 24. cap. gloriatur Virgo bendicta. *Quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis.* Cur quasi platanus? Et quid juxta aquam? de platano scribit Plinius lib. 2. Hist. Natural. quod folia ad formam scutorum proferat. *De platano accepimus, quod in scutorum formam elatas habet frondes.* Per aquas intelliguntur populi peccatores juxta Scripturæ testimonium. *Aqua multæ, populi multi.* Quia sicut aqua frigidæ naturæ est, ita peccatores in charitate Dei & proximi, in rebus spiritualibus frigescunt; sicut aqua sepe numero ob nimium frigus congelascit, sic etiam peccatores.

tores ad tales spiritus frigiditatem nonnunquam rediguntur, ut toti congelascant, & in glaciem indurentur. Dum ergo de seipsa dicit beatissima Virgo, quod sit quasi platanus onerata scutis, juxta aquas peccatorum, Tutricem, Protectricem, Patronam & Advocatam, scutum inexpugnabile peccatoribus se offert, ac significare intendit, quod, quotiescumque divina Justitia, punitionis justissimae sagittas ab arcu strictissimi judicij in nos ejaculatur, & nos tamen non offendimur, aut sauciamur, ipsa potentissimae protectionis suae munita scuto, omnes retundat poenarum iactus, & jacula. *Bene in istar platani Maria* (ait Richardus de S. Laurentio. lib. 12. de Laud. Virg.) *quia juxta populorum peccantium aquas, protectionis sua scuto, precibus, & intercessionibus Judicis Dei iram retundit.* Verè peccatori Civitas refugii.

CONCEPTUS V.

Mysteriosus erat loquendi modus Christi Domini, apud S Joannem Evangelistam 21. cap. quo alloquens S. Petrum Apostolorum Principem, eiique animarum tradens curam, dixit: *Pasce oves meas.* Id est: Ovium mearum pastorem te constituo, fideles & electas animas tibi committo, quarum tibi incumbet cura, ne periclitentur, aut perdantur; nam ejusdem Christit testimonio edociti sumus, electos oves, reprobos hædos appellari, sic enim apud S. Matthæum cap. 25. dicit, in fine mundi justos à reprobis separandos, & oves, quæ sub justorum nomine comprehenduntur, à dextris statuendos, hædos verò, id est, reprobos à sinistris. *Separabit oves ab hædis, & statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.* Si ergo sancto Petro oves pascenda à Christo traditæ, & electorum sive justorum cura commissa est, ergo næpræ & hædi, qui sunt peccatores, absque curâ manebunt, derelictæ, absque pastore? Non certè; sed & hī suum quoque habebunt pastorem, qui singularem de iis, earumque sa-

hh 3;

lute:

lute curam habebit; quisnam ille est? Audire libeat verba sponsi, quibus dilectissimam suam sponsam alloquitur, post vestigia gregum abire jubet, eique hædos, sive peccatores, paternè committit. Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasci hædos tuos ante tabernacula pastorum. Cant. 1. c. felicissima hæc sunt nova peccatoribus, Dei Mater pascit hædos, curam de peccatoribus habet, eos protegit, ac defendit, ad coeli pascua ducit, & ad æterna tabernacula. Testis est ter felix ille Theophilus proprio sanguine dœmoni subscriptus, aliquique sine numero gravissimi peccatores, hædi fœdissimi, qui fidâ Mariæ curâ cœlestibus gaudiis æternum pascuntur, pro quibus perorat S. Bernardus. in Deprecat. ad B. V. Tu peccatorem, quantumlibet fætidum, non abhorres, non despicias, si ad te suspiraverit, tuumq. interventum pœnitenti corde flagitaverit; tu illum à desperationis barathro, pia Mater retrahis, spes medicamen aspiras, foves, non despicias, quousque horrendo judici miserum reconcilias: famosum hujus tuae benignitatis testimonium est per te Theophilus restauratus gratia. Cui tu, ô Virgo fuisti, Civitas refugii.

CONCEPTUS VI.

Sponsæ laudantur labia, & vitæ coccineæ comparantur. *Sicut vita coccinea labia tua.* Cant. 4. cap. Dubium hic movet Theodoreus, & querit, cur Spiritus sanctus, rubedinem labiorum sponsæ de prædicaturus, assimilaverit ea vitz coccineæ? An non meliori proportione dicere poterat: *Sicut purpura labia tua?* Purpura enim regiarum personarum decus est & ornamentum? Dubium hoc solvet historia exploratorum à Josue transmissorum in Jericho. Josue 2. cap. Exploratoribus domum Rahab mereticis ingredientibus, intellexit probè mulier hæc, civitatem illam infra paucos dies, ab hostili exercitu vastandam, & destruendam fore, quare cum exploratoribus illis pactum iniit, dicens: ego abscondam vos intra

intra domūs meæ latibula, & tempore noctis per viam secrete-
tam vos educam extra civitatem, salvos, sanos, & incolu-
mes, si tamen mihi, totiisque meæ familiæ, vitæ conserva-
tionem promiseritis & salutem, placuit exploratoribus mu-
lieris, tum oblatio, tum petitio, & ut à cæteris domibus,
domus Rahab dignosceretur, dederunt ei signum jussuruntq;
appendere in fenestrâ funiculum coccineum, quod & ipsa
promptissimè executa est. *Dimitensq; eos ut pergerent, ap-*
pendit funiculum coccineum in fenestrâ. Promissis explorato-
rum stetit Josue, & occupatâ Jericho, occisis omnibus, Ra-
hab meretricem, & domum patris ejus, & omnia quæ habe-
bat, fecit Josue vivere. Dicit nunc Theodoreetus, labia
sponsæ comparari vitæ coccineæ, quia sicut per vitam cocci-
neam Rahab mulier peccatrix, salutem ac securitatem à san-
guineâ hostium executione, reliquis intereuntibus obtinuit,
sic per labia Virginis Deiparæ pro misericordiis peccatoribus inter-
cedentia, ab interitu peccatorum salvatur, & in die illo iræ,
calamitatis, & miseriae obtinet coram Judice securitatem.
Quare concludit: *Signum hoc sponsus in ore sponsæ, tamquam*
in fenestrâ collocatum intuetur, & sicut funiculus coccineus, in-
quit, labia tua, & eloquium tuum decorum. Refugium pec-
catorum.

CONCEPTUS. VII.

Pulchritudinem & decorem Mariæ Virginis, divino suo
penicillo illustratus Spiritus S. hoc ei laudis encomium tri-
buit. *Pulchra ut luna.* Cur rectè lunæ? Hugo Cardinalis
devotus Deiparæ cliens, indefessam curam, ac continuam
protectionem, quæ Virgo beata peccatores tutatur, ex hac
similitudine deducit, idque probat ex sacrâ Scripturâ. Gen.
cap. i. Quando Deus creavit universam hanc mundi ma-
chinam, duo fecisse legitur magnæ molis lumina, solem scilicet,
& lunam. *Fecitque Deus duo luminaria magna, lumi-
nare majus, ut praefaset diem, & luminare minus, ut praefaset*
nottum.

nocti. Duo hæc luminaria, in sensu mystico alia non sunt, nisi Christus & Maria: Sol est Christus, juxta Prophetam Malachia. 3. cap. *Ortus est Sol Justitia, Christus Deus noster.* Sol nimirum talis, qui lumen diei, id est, justis gloriam præbet; Luna Maria est, quæ præset nocti, id est, homines in tenebris, & in umbra mortis sedentes, in horrore peccatorum detentos, intercessione salvat, lumen vitae accendit: ideo pulchra ut luna. Doctissimum audiamus Hugonem. *Duo fecit Altissimus luminaria, lumine majus, hoc est Christus, ut præset diei, id est, justus, lumine minus, id est, Virgo Maria, ut præset nocti, hoc est, peccatoribus.* Vedit per visionem S. Gertrudis, accurare sub chlamydem dulcissimæ Genitricis Dei Mariæ veluti bestiolas quasdam diversi generis, quas omnes Mater misericordiæ benignè recipiens, & quasi sub pallio suo protegens, delicatâ manu suâ singulas contrectabat, deliniebatque, & ipsis amabiliter blandiebatur, quemadmodum quis blandiri solet catulo suo, interrogata autem, quid hæ bestiolæ significant, respondit, peccatores esse, speciem ad se devotionem habentes, ac per hoc manifestè insinuabat, quam misericorditer suscipiat omnes invocantes se, & quam maternâ pietate defendat sperantes in se, etiam eos, qui peccatis adhuc impliciti sunt, donec eos filio suo reconciliet: Dixit autem Virgo Dei Genitrix ad S. Brigittam: *Quantumcumq; homo peccat, si ex toto corde, & verâ emendatione ad me reversus fuerit, statim parata sum, recipere revertentem, nec attendo, quantum peccaverit, sed cum quali intentione & voluntate redit: ego vocor ab omnibus Mater misericordia, verè filia, misericordia filii mei fecit me misericordem, & misericordia ejus visa compatiens, ideo miser erit, qui ad misericordiam, cùm possit, non accedit.* lib. 2. Revel. cap. 23. Felix, qui cùm possit, accedit ad te, o Refugium peccatorum!

Cim

Cum ergo omnes peccatores, omnes quotidianis pec-
catis simus obnoxii, neque meritis nostris coram tremen-
do Judice subsistere possumus, ad misericordissimam ejus
Matrem filiali fiduciâ recurramus, inclamantes cum S. An-
selmo. in Orat ad B. V. O beata fiducia! O tutum Refugium!
Mater Dei! esto Mater nostra, Mater ejus, in quo solo spera-
mus, & quem solum timemus, esto Mater nostra, Mater in-
quam, ejus, qui solus saluat, solus dñe, esto Mater nostra,
esto Refugium nostrum, in die tribulationis nostra. Amen.

Epilogus.

O quoties diram supremi Judicis iram
Excitat in se reus, nec ferit, ecce, Deus!
Nam peccatorem sua spes legit Alma, furo-
rem
Avertit Patris, pectore, prole Matris.



ii

DL.